

ra corpori tela hærent. Multoties jejunabat solo pane contentus & aquâ, jejuniique formam servabat etiam cum, valetudine coactus ægrâ, carnibus vesceretur, imò quotidianum dici jejunium ejus poterat, parcissimo victu asueti, vixque non semper recusantis id ferculum, quod pro concionantibus, ea qua dicunt die, condi sapidius in Societate solet. Multo impensius se dedit animi mortificationi, pro fuimer victoriâ strenuè & continuo decertans, vim sibi inferens quotidianam: nam temperiem sortitus biliosam, & egregiè vivacem animum, multas faciliè occasiones iræ & similibus offendere erat, in tanta præcipuè cum diversis hominibus consuetudine, quibus cum pro muneribus suis agebat; ut tamen sibi temperare studuerat, mirum in modum naturæ impetus retardabat, & ne quidem prodeire se, insigni quidem conatu & merito, permittebat.

352 Hinc insignis erat illa, qua fruebatur, adversus conviciantes modestia & misericordia, tanta quidem, ut publicè jactatas in ipsum audientem injurias non modò patientissimè tulerit, sed verò etiam pro maledicente intercesserit ita validè, ut nulla demù mulctatus pœna fuerit, cui gravissimam Prælati decreverat. Humilitatem sic habuit charam, ut in tantâ doctrinæ, virtutum, & laudum, copiâ, sibi admodum

vilesceret, proditore Judâ deterior se existimaret, aliorum sensa, per inde quasi ignarus, in arduis requireret (quibus spontè limatissima subjiciebat Scripta sua) invitus elogia honoresque sibi præstitos pateretur, ageretque multis, ut nihili eum homines aggregarent. Hinc cum Bibliothecam evolvens Scriptorum Societatis JESU, in hæc sibi alia inter ab Authore data incidisset elogia: *Pater Antonius Nuñez de Miranda, Natione Mexicanus, virtute ac litteris insignis*, cohibere se non potuit, quin ea statim dederet, quorum loco sufficit ista: *Pater Antonius Nuñez, frater natu major dementium ad S. Hippolyti* (hoc enim nota est titulo Mexici destinata pro mente captis domus) Paupertatis egregius cultor habitu eam referebat semper atrito, omnibusq; indumentis, quibus delectabatur veteribus, multis que commissuris confarcinatis: nec adduci poterat novis ut uteretur, nisi Superiorum mandato; quorum expressam, & quæ usum præcederet omnem in re qualibet paupertatem concernente, licentiam, exactissimam requirebat.

353 Certè, egestatem in delicijs habuit perpetuò, & postquâ decem centena millia & amplius uncialium argenteorum in pios secundum Dominorum voluntatem usus expenderat, testatus est Confessario suo in postremâ generali exomologesi, ne minimo qui-

quidem scrupulo vexari vel quadrantis in suum unquam usum accepti. Dicere autem solebat, castitati fovendâ paupertatem maximo perè deservire, ut, contra, luxum vestium & aliorum, impudicitia, ut propterea animi corporisque munditiam eximie coluerit, tanto paupertati devotus studio, cui cæterarum officia virtutum adjecit, omnesque conatus & vires. Modestia fuit semper insigni, à colloquijs femininarum abhorrens, ni quæ necessaria forent & breviter, cavens que ne oculos in ipsas intenderet, ac nulli parcens diligentia & labori, ut suo se & aliorum tactui subduceret & asperet; verbis, etiam cum opus erat de veneris ea facere, parcissimus, paucis negotia & consultata Matrimonij atque id genus alia concludens, quamvis cætera diffundi solet in responsis suis, pro eximia qua pollebat eruditione eloquentiaque.

354 Postremo neutiquam in loco obedientiam habuisse, imò præ reliquis coluisse virtutibus ad senectam usque visus est, perinde quasi tyrocinium nondum egressus, Superioribus semper obtemperans, dura licet juvenibus & admodum ardua, itinera scilicet difficillima, plena laboris opera, muniaque, ut videbatur, dedecentia, quin misereret unquam, & vel, Deo sic permitente, graviter objurgatus ac sine causa, quòd ipsum in Super-

rioribus coleret Deum, à cuius voluntate vel in minimo deflectere duxerat religioni, atque ea de causa nec jota unum, nec unum apicem ex præscriptis à Societatis Regulis præteribat. Tot tantisque cumulatam virtutibus, donis itidem alijs Deus exornavit, quæ decori esse solent egregiè Sanctis: Prophetiæ lumine futura ut non raro præfugiret ac cerneret, abdita humani cordis rimaretur, intuereturque arcana, & loco posita remotissimo haberet ob oculos: peculiaribus addictas cruciatibus animas interdum videret audiretque, atque à mutata facie Imaginis Purissimæ Deiparentis, Sodalitij sui tutelaris, portenta sæpius auspicaretur verereturque insignia.

355 Ætate quidem gravis, nempe septem annis septuagenarid major, continuisque attritus laboribus, ac malâ subinde valetudine afflictus, cæcutierat jam diu, suffusionibusque laboraverat, queis ut Ophthalmicus mederetur, Prælati, quorum Noster nutibus & signis parebat, jussurunt, optato sane postliminio restituti luminis oculorum, sed verò etiam infaultissimo cætera eventu, quòd pleuritidem læthalem sit passus. Exhorruerat multis retro annis incertam mortis horam recogitans, singulis que præstolarus ipsam diebus ac noctibus, nam priusquam iret cubicum, sacrâ se expiabat Confessio-



ne, perinde quasi moriturus; manequē factō simili pramunitus cogitatione ad aras faciebat, omnem sibi diem supremam existimans; qua tandem veniente, Sacerdotē accersivit, penes quem totius vitæ Confessionem inchoaverat, ut absolveret, sacroque Viatico muniretur, quamvis ea ipsa die Sanctissimum Jesu-Christi Corpus sumpserat. Ubi ipsum heroyca plane Fide suspexit, coram Patribus Collegij, qui aderant omnes, grates ex intimis egit precordijs, quod intra Catholicæ Romanæ Ecclesiæ finit, & in Societatis JESU gremio constitutus obiret. Recreatus dein Imaginis præsentia Virginæ, cujus diu exastuarat amore, Oleoque sacro inunctus, & solitis Ecclesiasticis precibus à Socijs adjutus, animam Deo reddidit, post septimam noctis horam, 17. Februarij anno Domini 1695. ætatis fere 77. Religionis 58. Sacerdotij 51. Professionis quatuor votorum 39. Præfecturæ Sodalitij Purissimæ 32. Omnium Provinciæ suæ Patrum, qui quatuor Deo nuncupaverant vota, Decanus.

356 Sequenti proximè die corpus ejus insigni concursu Nobilium, & omnium religiosorum Ordinum, multorumque è Clero seculari Virovum frequentia elatum fuit, Officia peragentibus Ecclesiastica Dominicanis Patribus, qui ultro se ad ea obtulerant amoris ergo & gratitu-

dinis in devotissimum Ordini suo Antonium, cujus manus pedesque osculabantur gravissimi ex omnibus sacris cæribus viri, in laudes Defuncti sanctitate juxta & doctrinâ conspicui ultro se se effundentes. Quievit tandem apud Sacellum à Purissima nuncupatum, quod & ejus, quam diximus, Sodalitatis exercitijs peragendis institutum est, & in Sepulchrum pro morientibus in Collegio Patribus destinatum, Quod verò Sodales, seu Parentem illum intimo dilectionis sensu prosequerentur, cui acceptum referebant decus eximium, augmentumque Congregationis planè mirabile, solennissimam decreverunt parentationem in Ecclesiâ Collegij Maximi, erectâ mole funebri magnâ, invitatis religiosis Familijs, Clero Magistratuque Mexicano, quibus unâ cum Excmò. Comite de Galve, Novæ Hispaniæ Pro-Rege, adstantibus, ad aras fecit, cantu mœstissimo Musicis suas partes agentibus, Clarissimus D. D. Alphonfus Albertus de Velasco, qui Archiepiscopatu se subdlexerat Manilensi; & è sacro suggestu dixit Pater Josephus de Porras, ejusdem Societatis Theologus gravissimus, successorque in regendo Sodalitio Defuncti, cujus tornatâ Oratione laudes complexus est, Elogium verò hîc sub-jicimus, quod ejus appensum Tumulo sic habebat.

Æter-

ex auro non fuit; regenorū subfidiū, agrā laborantium valetudine, medicinā, incarceratorum auxiliū, viduitatis asilum, & vel amicum, quoque levamentum fuerit, miranda charitatis aurea perennitate, exijs que miranda nomen præsefert, nomen sibi acquisivit, immortale.

QUI

Sibi despectus post aurum non abiit, nec enim in summis abiit astimatio-nem; & totus Deo deditus, virtutum florens operibus, ignito charitatis auro impense saluti Proximorum incur-buit, ut manus quidem aureas byacinis plenas habere videretur.

QUI

Seculo tandem mortuus (flos enim erat) obiit die 17. Februarij anno 1695. ætatis suæ 77. Religionis 58. Sacerdotij 51. Professionis 39. Purissimæ Virginis Sodalitij accuratissima directionis 32. Sed perennitatem (aurum enim erat) æternitati vivit.

Huic ergo Parenti suo colendissimo ut ritè parentaret idem Conceptionis Purissimæ Sodalium, in memoria ac gratitudinis monumentum, hoc erexit cenotaphium.

357. Multum equidem morarentur, si quanti fuerit habitus à gravissimis omnium Ordinum viris enarrare contenderemus, quo ut Lectores tædio liberemus, sat fuerit nomina duntaxat aliquorum Principum recenfere, quibus eximia fuit Antonij reverentia dilectioque.

Æternitati. Siste gradum hospes. Clamat hic vel voce carens. V. P. Antonius Núñez de Miranda, Societatis Jesu. Nimirum encōmia sua Virtus & Sapientia, tunc maxime prædicant, cum maxima tacent, & ubi tacens Sapientia laudabit Antonium, laudabit Sapientia animam suam.

CVI

Nobile metalis Oppidum, vulgo el Fresnillo, natale dedit solum, ut abundans auro cum Antonium edidit, si florem dixerit aureum edidisse.

QUI

Ad uberrimum Societatis Jesu viridarium translatus, flos licet aureus, suavissimum Christi odorem exhalavit.

QUI

Primas scientiarum Cathedras, ut flos sapientiæ condecoravit Moderator egregius, prima Mexicana Provinciae mynia, Provincialis nimirum ac Maximi SS. AA. Petri & Pauli Collegij Rectoris dignissimum caput, aurum optimum, vigilantissime obivit.

QUI

Secundus nemini, secundus præfuit. Illmò Conceptionis Purissimæ Sodalitio Præfektus ac Parens, ut ejus omnia Apostolici instituti ministeria non nisi secundo semper omine promoveret.

QUI

Omnibus omnia factus (quid enim

Rrr

Excmi.



Exc. m. Novæ Hispaniæ Pro-Reges, quotquot eo vivente isthac moderati sunt Regna, ipsum, ceu virum Sanctum sapientiæque plenum, suspexere consulere que in majoris momenti negotijs. Ex illis, Comes de Baños, Comesque de Galve ejus ut hortationibus pascerentur, multoties Sodalitium Purissimæ frequentabant. Marchio de Mancera cum sibi elegit à sacris Confessionibus, in Hispaniamque redux datis salutabat Epistolis, Filiumque se & Amicum Antonij conceptissimis verbis profitebatur. Conjux itidem ejusdem Pro-Regis clarissima juxta & pijsima femina, simili illum profecuta veneratione, cum Tepeacæ, Pango 30 leucis distito à Mexico, itineris causâ versus Hispaniam ageret, lethali tentata morbo accessit Antonium, cui morienti adstitit hortator ipse qui ante hac fuerat Confessarius atque Director. Illius, unâ Exc. m. que Mexicanus Pro Rex & Archiepiscopus D. D. Joannes de Ortega Montañes cæteris in eo colendo haud impar fuit, cui nequam concessit V. D. D. Franciscus de Aguiar & Seixas, Præsul itidem Mexicanus, multis ejus commendans operam, quam in ovium suarum salute ponebat, virtutes litterasque miratus egregias. Exc. m. pariter Ill. m. que D. D. Emmanuel Fernandez de S. Craze Episcopus Angelopolco, & destinatus Pro-Rex Me-

xicus, egregijs & ipse dotibus admodum clarus, quas in Antonio egregias agnoverat, saepe insigniter commendabat. Ill. m. porro viros D. D. Isidorum de Sariñana Antequerensibus infulis decoratum, & D. D. Alphonsum Albertum de Velasco, ad Archiepiscopales destinatum Manila, ejusdem retrò in Philosphicis Aulis discipulos, eo libentius ijs accensimus, quòd propius Antonium tractaverint, intimiusque noverint, ejus sub inde gloria sinceri fuerint buccinatores.

358 Nec involvendi silentio sunt Viri, qui præcipuo Sanctitatis nomine eo tempore insignes sunt habiti, quorumque perlat eate nostra posthumus honos. Quòd enim Antonium in asceticis Magistrum vel optaverint, ut Pater Dominicus Perez de Barcia, Collegij Bethlemitici à S. Michaele dicti, Fundator, ut in ejus Vita lib. 1. cap. 7. n. 30. & alibi scribit P. Julianus Gutierrez Davila; vel etiam habuerint, uti D. Joannes Perez Gallardo, & P. D. Petrus de Arellano & Sofia Congregationis Oratorij Mexicæ Præpositus, prout de primo affirmat nuper citatus Author n. 31. ejusdem capit. de secundo verò Nos in ejusdem Vita tradimus lib. 1. cap. 5. n. 27. & alibi; quibus adjungi possunt P. Fr. Joannes à S. Bernardo, Presbyter Ordinis Hospitalitatis S. Joannis de Deo, fimilesque alij;

alij, prout promptumque colligere est quanti Noster sit estimatus. Acta ejus accuratè sapienterque scripsit P. D. Joannes Antonius de Oviedo, ejusdem Societatis lumen præclarum, editique Mexici typis Lupercianis anno Domini 1702. in quart. atque hunc Librum, ceu fontem, signamus, unde cuncta à nobis relata haufimus & imbibimus.

Multa quidem scripsit, & vernaculâ, hoc est, hispanâ linguâ, cujus abundantiam & divitias, qua erat ipse affluentia, palam ubique facit, & latinâ, è quibus omnibus edita prius redigemus in syllabum, quæ nobis hæctenus innoverunt, & quorum pleraque tacito suo nomine publicavit; pluribus curas nostras fugientibus.

Hispano sermone habemus sequentia.

*Colloquium de Actu contritionis.* Mexici, typis Viduæ Bernardi Calderon 1664. in octavo.

*Compendium obligationum communium, generaliumque, pro eis implendis, mediorem, praxi juncta brevi facillique orationis & examinis, quæ præcipua sunt duo Sodalibus Purissimæ Conceptionis proposita.* Mexici, eisdem formis & anno, in octavo. Iterumque Mexici, in eadem Officina 1668. in 16.

*Praxis Stationes in majore hebdomade peragendi, &c. in primis Sodalium à Purissimâ usui disposita & utilitati.* Mexici, ex eadem Typographia 1665. in octavo. Et

post alias editiones, novissimè anno 1754. in Typographiâ Bibliothecæ Mexicæ destinata, in 16.

*Praxis generalis pro meditanda Passione Dominica.* Mexici litteris V. Bernardi Calderon 1665. in octavo.

*Exercitia spiritualia, & pro prima eorum hebdomade praxis secundum methodum regulasque S. P. N. Ignatij.* Mexici, eisdem prælis 1665. in octavo spisso volumine egregijs Notis aut Glossis in textum Ignatianum.

*Praxis frequentis Communionis & Confessionis. Documenta continet utilia pro facili uilique horum usu Sacramentorum. Pacantur scrupali ea de re nonnulli, & qua eorum obstari fructui amoveantur. Subjiciuntur septem pro totidem hebdomade diebus considerationes.* Mexici, eisdem typis anno 1665. in octavo multo volumine.

*Mysteria Nazareni Jesu in acerbâ Calvaria via lapsi.* Mexici, eisdem formis 1665. in octavo.

*Honorarius Tumulus in Exequijs ductis Magno Hispaniarum Regi Philippo IV à Sacro Inquisitionis Tribunali Mexici erectus in Ecclesia S. Dominici.* Mexici, eisdem litteris 1666. in 4. Opus hoc, cujus subscripta est Nûcupatoria Nostri nomine Sodalisque sui P. Francisci de Uribe, Theologiæ Antecessoris, solutâ constans ligatâque numeris oratione, ab amobus videtur scriptum, ita quod Pœmata, quæ impensè laudantur à Nostro,



Socium habeant Authores; historia vero, Nolri, cujus redolet stylum, calamo disposita fuerit.

*Mysteria funebria* Deiparentis orbatae Filio, huiusque pretiosissimi sepulturae. Mexici, ex eadem Typographia 1670. in octavo.

*Concio ad mores in cuiusdam Professione Monialis* ad S. Laurentij. Mexici, mox indicatis litteris 1679. in quarto.

*Summaria Meditationes de his quae videntur potiora & efficaciora pro iuvandis animabus in Purgatorio, deventis motiva.* Mexici, toties repetitis litteris 1776. in octavo. Et Angelopoli, formis Francisci Xaverij Morales 1726.

*Praxis devotionis erga gloriosum Patriarcham Sanctum Iosephum Deigenitricis Sponsum.* Mexici, typis Francisci Rodriguez Lupercio 1681. in 16. operâ D. Joannis Iosephi de Miranda Presbyteri Mexicani Fundatorisque Sodalitij ejusdem Deigenitricis Sponsae in Ecclesiâ S. Laurentij.

*Epitome historica* Historiaeque moralis de virtutibus ac dotibus S. Annae Parentis Deigenitricis, unâ cum magnalibus S. Joachimi ejusdem Annae conjugis, Mariaeque D. nostrae genitoris. Mexici, dictis formis 1682. in quarto, volumine multo, in quo & pietatem & cruditionem & criticem ad Hiltoriam sacram lector inveniet.

*Oratio habita in funere Clarissimi Viri D. Joannis de Echavarría, Equestris Ordinis S. Jacobi, Ecclesiae Monasterij ad S. Lauren-*

*rium conditoris.* Mexici, è domo Viduae Bernardi Calderon 1684. in quarto.

*Oratio altera in eadem funebri in Exequijs ductis Equiti eidem nobilissimo in Templo S. Gregorij Societatis Jesu, quod suo aere fundaverat.* Eisdem formis & anno.

*Methodus orationis mentalis pro instructione & usu Sodalium à Purissima.* Prodiit accurate editio nem P. Martino de la Llana, Presbytero S. Philippi Netij Mexiceo, Mexici, è Domo V. Francisci Rodriguez Lupercio 1684. in octavo.

*Tractatus de ritu & perfectione qua Hora canonica persolvenda sunt, ad arasque agendum.* Prodiit nominem D. Joannis de Olivares, Sodalitij à Purissima Praefecti. Mexici, apud D. Mariam de Benavides 1685. in octavo.

*Praxis pro obeundis Feria sexta Stationibus ad normam V. M. Mariae de la Antigua.* Mexici, ex Typographia Viduae Bernardi Calderon 1681. in octavo.

*Expositio theorica, & practica adaptatio libri quarti de Contempitu Mundi seu de Imitatione Christi ad preparationem, fructuosamque gratiarum actionem in frequenti commanione.* Angelopoli, apud D. D. cum Fernandez de Leon 1691. in octavo, volumine multo, Illud. Antequerensii Episcopo D. Sarniana quondam Discipulo suo, nuncupata.

Huic Opusculo Dissertationem praemittit valde cruditam de

Authore aucti Libelli de *Imitatione Christi*, quem suo, ut defendit, Authori vindicat Thomae à Kempis, Canonico regulari, contra quam multi Critici sententiam propugnant Joanni Gersen illum adjudicantes, multis hinc inde editis hac de re Opusculis doctissimis, quorum meminit novissimè crudicissimus unâque modestissimus Criticus P. Michael à S. Josepho Excalceatorum SS. Trinitatis Superior Generalis multis itidem titulis & nominibus meritò suspiciendus. Vide sis ejus Bibliographiam Criticam in Joannes Gersen vel Gersen, & in Eusebius Amortius, & in Fronto pronomine Joannes.

*Teslamenteum mysticum anime religiose.* Prodiit posthumum Mexici, typis Michaelis de Ribera 1707. in octavo.

*Expositio ascetica theorica & practica orationis Vocalis ad regulas 13. 15 & 24 Sodalitij à Purissima.* Mexici, typis Lupercianis 1685. in octavo.

*Expositio mystica regule 18 Sodalitij à Purissima, quae Sacramentalem praescribit Confessionem Synaximque Sacram, cum theoria & praxi eorum quae ad facilem & utilem concernunt frequentiam horum Sacramentorum.* Mexici, apud Viduam Michalis de Ribera 1714. in 8.

*Expositio literalis summariaque Decreti Eminentissimorum Cardinalium S. C. T. Interpretum Jusu SS. D. N. Innocentio XI 12 Februarij 1679 publicati circa frequen-*

*tem Communionem.* Mexici prius dcin Lugduni apud Anisson, Poesuel, & Rigaud 1687. in octavo.

*Concio habita in Canonizatione S. Francisci de Borgia Societatis JESU.* Extat cum alijs ejusdem argumeti in Libro Mexici typis dato apud Joannem Ruiz 1672. in quarto.

*Panegyris in Dedicatione Templi S. Bernardi.* Prodiit unâ cum alijs ejus solennitatis, Mexici typis Lupercianis 1691. in quarto.

*Exercitia spiritualia S. Ignatij, statui & professioni religiose deditarum sponso Christo Virginum adaptata.* Mexici, apud Viduam Bernardi Calderon 1695. in octavo spisso volumine.

*Regule Sodalium à Purissima Mexici ad SS. AA. Petri & Pauli florentium unâ cum Indulgentiarum pro ipsis compendio.* Mexici, eisdem formis 1684. in octavo & saepius alijs typis.

*Concio de S. Michael Archangelo.* Mexici, in eadem Officina in 8.

*Pia animadversiones, & meditatio jacturae, et multa quam asserre possunt perniciosi Sanctimonialium comercia vulgo Devociones nuncupata.* Ibidem 1685 in octavo.

*Dies bonus & integer, cum omnibus Operibus, Regulis & Obligationibus Sodalium à Purissima.* Mexici, formis Viduae Bernardi Calderon 1667. in octavo, & hujus ac Regularum pro eisdem Sodalibus mentionem facit Bibliotheca Societatis dum de Nostro adhuc vivente sermonem instituit.

*Distributio ordinariorum in die*



operum, itemque evenientium extra ordinem, ut perfectè ad V V Religiosarum statum fiant: duodecim confans solidis documentis pro religiosa & spirituali vitâ ducendâ. Opus posthumum, instantibus à JESU MARIA Monialibus Regijs, editum Mexici, apud Viduam Michaelis de Ribera 1712. in quart.

*Abecedaria tabella doctrinæ religiosæ.* Mexici, typis Viduæ Michaelis de Ribera 1708 in octavo. Anteriores editiones missas facimus, quas in promptu non habemus.

Præter quæ hæcenus dedimus edita, multo plura & majoris moliminis reliquit inedita, quorum & si magnam partem desideremus, sequentem indiculum damus.

*Compendium historicum de Purissimæ Virginis Sodalitio ad SS. A. A. Petri & Pauli erecto,* in quo libro res à cap. Congregationis expendit omnes. Meminit ejus P. Oviedo in Vita Nostri pag. 46.

*Rituale ejusdem Sodalitij, in quo cuncta quæ ejusdem concernunt regimen, prudentissimè elucidat & scitissimè.* Extat Mss in quart. in Bibliotheca dicti Sodalitij & habetur præ manibus à P. Præfecto.

*Sermones Concionesque plurimæ, cum de Christo Domino, Purissima Deipara, & Calitibus multis, tum etiam ad mores.* Mss è quibus multos plane Tomos esset conficere.

*Conciones ad Sodales suos à Purissima nuncupatos habitæ ab ipso totis 32. annos, totidem compagi-*

natæ voluminibus apud Bibliothecam Congregationis ejusdem servantur.

Latino Sermone Theojuridica isthæc habentur uno in volumine apud Bibliothecam Collegij Tepozotlami Societatis JESU.

*Tractatus de Legibus.*

*Tractatus de Censuris.*

*Tractatus de Restitutione.*

*Theologica verò Scholastica, & Philosophica,* quæ è Cathedra tradidit, & numero minimè exigua & pretio maxima, nullibi hæcenus invenire potuimus præter sequentia fortè fortuna à nobis comparata, quæ possidemus inter pretioriora cimelia nostra.

*Tractatus de Scientia Dei explicans doctrinam Angelicam q. XIV prima partis cum sequentibus contentam,* anno 1667. 19 Octobris incaptus, in quarto.

*Tractatus de Scientia media & Auxilijs,* anno 1669. in quarto.

Ejus in editis Libris meminit egregia cum laude P. Julianus Gutierrez Davila, è Congregatione Oratorij Mexicea, tum in Vita, quam scorsim edidit P. Dominici Perez de Barcia, loco supra à nobis indicato & alibi: tum in *Monumentis Historicis ejusdem Congregationis* sæpe quidem, ut in Indice Alphabetico verbo *Pater Antonius Nuñez de Miranda,* obvium cuique erit: sapius autem in Opere toto, quod cum acta complectatur PP. Oratorij, qui Nostro quam qui maxime addicti fuere, hujus & me-

morias

morias & laudes passim multas legentibus objicit. Nos demum (ne hoc prætermittamus) in memorata supra P. Petri de Arellano Vita, nunquam licet pro meritis paria, Antonij conteximus elogia, crasa quidem & rudi, non tamen invita Minervâ, quod libentissimo illa animo scripsimus. Ejus extat memoria in Menologio Provinciæ novæ Hispaniæ edito anno 1747.

+ 359 D. ANTONIUS DE OCHOA, Natione Mexicanus, Angelopoli natus, bonisque litteris eruditus, OEconomum egit Monasterij à S. Hieronymo dicti, & Collegij à JESU MARIA nuncupati in eadem Urbe, cujus historicam narrationem ingeniosè contexit, fabellâ scitè confictâ cui titulum fecit hispanâ linguâ *Casus Ferdinandi.*

Meminit hujus Mss D. Didacus Bermudez de Castro in suo ad nos misso de Scriptoribus Angelopolitanis Catalogo. num. 147.

+ 360 P. ANTONIUS DE PAREDES, Natione Mexicanus, in Angelopolitana Diocesi natus, Societatis JESU Theologus Clarissimus, quatuor nuncupatis Deo votis, Magistros inter Provinciæ suæ egregios, & pridem illuxit, & hæcenus fulget. Ad utrumque suggestum natus, Palæstram, quâ juvenis alacriter adierat, Scholæ, dein repetijt Moderator Eloquentiæ Cathedræ, tumetiam Philosophiæ. Non minori in Orato-

Sz

ria Facultate nomine insignis pulpita sacra in primarijs Regni theatris multo cum doctorum hominum plausu subjicit & frequentavit, dignus qui Mexici perantiquo & illustri Sodalitio à Salvatore nostro nuncupato, quod in domo Professæ situm est, Præfectus datus fuerit; cui strenuam muneri operam tandiu navavit, donec ad regendum Queretanenſe Collegium, studijs, etiam Philosophiæ & Theologiæ, clarum, fuit destinatus, cujus in præfentiarum insitit regimini, multa interea pro Instituto suo in Dei gloriam & salutem animarum exactè curans. Edidit habitam à se Panegyrim pro solennissimâ Immaculatæ Deiparentis Virginis sub titulo de Guadalupe in Mexici Regni Patrocinium, Sacramento præstito, evocatione; cui orationi materno titulum idioma dedit:

*Authenticum Patronatus Mexicci SS. Virginis Mariæ sub Guadalupanâ latentis mirabili Imagine.* Mexici, formis D. Mariæ de Ribera 1748. Extat in Collectione nostra tom. 18. in quarto.

Habet enim verò Mss plura, quibus oratoriam sacram admodum illustraret, si, qua sunt dignissimâ, publicam aspicerent lucem.

*Cursus itidem Philosophiæ,*

*Summulæ & Logicæ:*

*Physicæ & Metaphysicæ:*

*Animasticæ & cætera Aristotelica expendentem.*

D.



† 361 D. ANTONIUS DE PAZ ET SALGADO; Natione Mexicanus, inclytam & prenobilem Goatemalæ Urbem Patriam fortitus, in ejsdem insigni Universitate cum alijs eruditionis ornamentis excultus fuerit, tumetiam Jurisprudentiæ operam navavit strenuam, cujus subinde lauream arripuit, & apud Regium Auditorium ejsdem Regni causarum Patroni gradum munusque tenuit, nec sine multa laude gessit. Multijugæ, qua vernat, doctrinæ monumenta habemus erudita fati & varia, quæ hic annectimus hispano sermone conscripta.

Flabellum pro stupidis, importunis, & molestis hominibus abigendis agendisque procul ab ijs qui literas profitentur. Goatemalæ 1742. Iterumque ibidem eodem anno cum additionibus, quas Opusque non vidimus, & propterea typographiam, è qua prodierit, reticemus, quam Index ad nos Goatemalensium datus non indicavit.

Magni veritates momenti pro omnium genere personarum: Scilicet, Aporhegmata varia Moralis Philosophiæ à P. Bluteau Lusitano è diversis coagmentata Doctoribus, hispano donata sermone. Goatemalæ 1741. tacitis, quod diximus, typographi nomine & cognomine.

Instructio litigatorum.... In duas partes divisa, quarum prima continet prudentiæ regulas pro meliori rerum gerendarum methodo; secunda vero brevem ordinis judiciarij doctrinam

nam pro singulis causis, seu civilibus seu criminalibus expediendis: una cum apologiâ pro causarum Patronis. Goatemalæ 1724.

Cali luces ecclesiæ in Goatemala emispherium diffusa, ejus in Metropolitanam Ecclesiâ erecta, primoque Archiepiscopo instituto Illmo. ac Reverendissimo M. D. F. Petro Pardo de Figueroa. Seu Enarratio historica ejsdem Ecclesiæ rerum ab ipsius conditione ad usque in Archiepiscopalem exaltatione. Mexici, apud D. Mariam de Ribera 1747. in quarto.

Institutiones ab Eminentissimo de Luca italicè editæ, hispana factæ Mss. Extant in Bibliothecâ demortui Illmi. Nicaraguensis D. D. Isidori Marin Bullon.

† 362 F. ANTONIUS DE PAZ, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis S. Augustini in Provincia SS. nominis Jesu professus, cum à dicendi peritiâ è sacro suggestu, tum etiam ab Scholæ palestra egregio fuit nomine. Philosophiam postquam triennio docuerat, Theologiæ in Angelopolitano Conventu tradendæ Scholasticæ Moraliq; incubuit, donec expletis de jure curriculum, Emeritus Lector est renunciatus. Hæc inter, & postmodum in Primario Mexico Cœnobio frequentissimas & doctas conciones plaudentibus sapientibus insipientibusque habuit. Conventibus aliquibus præfuit, deque arduis consultus negotijs, responsa dabat. Vivere desijt die, ni fallimur, 25.

No-

Novembris anno 1710 vel circiter. Ineditos reliquit, à nobis ex parte visos, ipso vivente,

Sermones panegyricos & morales.

E quibus aliquot compaginari libri possent, eruntque apud Symmistas suos, forsanique Tractatus è Cathedra dictatos Sodalium aliquis ascribabit.

† 363 D. ANTONIUS DE PERALTA CASTAÑEDA, Natione Hispanus, Angelopoli Domicilium fixit, postquam Doctor Complutensis Americam petijt, in qua multis claruit nominibus. V. D. D. Joanni de Palafox illius Urbis & Diocesis Anriltiti à sacris Confessionibus fuit, ordinariusque Consultor Theologus designatus. Ecclesiæ Parochialem de Cholula diligenter administravit, è qua in Cathedralem evedctus, pro habendis concionibus Magistrati, ut dicitur, Canonicatu potitus, deinde auctus Dignitate, Thesaurariû egit & Episcopatus Gubernatorem. Ut erat in Theologiâ Doctissimus Primariam ejus Cathedram moderatus in Regijs SS. AA. Petri & Joannis Collegijs, eorum etiam Studia rexit. Censor seu Qualificator S. Officij apud Hispanum Tribunal Conchense, eodem etiâ à Mexicanis Quæstoribus munere ornatus fultit. Pietate conspicuus cœterarumque virtutum exemplis, à Præbyteris Oratorij S. Philippi Nerij Angelopolitanis Præpositus electus, illustri eorum Familiæ præfuit, quæ cum

ea tempestate non dum ad instar Romanæ Congregationis Oratorij se gereret, exteros clarissimos viros præponere sibi usu tenuit Dignitatibus Ecclesiasticis decoratos, residentesque in Cathedrali Ecclesiâ, quos tamen arcent Instituta Vallicelana, quæ S. Philippum Authorem agnoscunt, tandemque aliquando Angelopoli florere cœperunt. Doctis Noster Scriptis inclaruit, eum hispanis typis, tumetiam americanis palam expositis vernaculo idiomate, suntque

Historia Tobia politici & moralibus commentationibus illustrata, Parrono suo colendissimo SS. N. Clementi IX Romano Pontifici nuncupata.

In hujus Procemio Operis Apologiam intexuit ingenuam juxta & doctam pro Americanorum ingenijs, quæ sibi consuetudine benè nota, longoque usu perspecta commendat multis, vindicatque ab injustis calumniatoribus. Ejus habet memoriam in Theatro Critico eruditissimus jureque laudatissimus Pater M. F. Benedictus Feijoo in Discursu de Americæ ingenijs.

Historiæ, quam mox diximus, Censor D. D. Joannes Ibaslo Malagon Regius Concionator, & Canonicus Malacitanus testis est in Censura libro præfixa, Nostri sub prælo gemere

Vitam S. Martini.

Commentaria in Estherem.

Theologiæ Scholasticæ Tomos duos in Divum Thomam.

Tt

Quæ



Quæ an excirint Opera late-  
nos.

*Concio de S. Parente Philippo Nerio.* Mexici, apud Hippolytum de Ribera 1652. in quarto. Extat in Bibliotheca Oratoriana Mexicea inter collectos variorum Sermones.

*Concio de purissima Deigenitricis Conceptione Angelopoli habita cum juramentum de ea propugnanda à Canonicorum Capitulo jam pridem emissum instauraretur.* Angelopoli, ex Typographia Joannis de Borja 1654. in quarto. Extat tom. 104. Collect. nostræ.

*Concio de SS. Patriarcha Josepho, adversus tempestates Patrono Angelopoli ascito.*

364 P. ANTONIUS DE PERALTA, Nacione Mexicanus, intra Mexicæ lacum amœnissimè vernans inædificatis super ipsum Oppidis floridissimis, ortus in eo quod Zumpango dicitur, ubi tum temporis genitor Prætozem agebat, totam demum Mexicanam ditionem floribus unà sapientiæ ornavit ac virtutum fructibus. Moribus, genere, ingenio, multisque instructis dotibus Societatem Jesu professus, egregiè cum in venustioribus literis eruditus, tum etiam in Philosphicis emittit atque Theologicis, quibus multa Jurisprudentiæ decora adjecit. Mexici in Domo Professâ Apostolicæ Instituti sui ministerijs incubuit, insignisque est habitus in permovendis è Pulpito audientium animis ad vitiorum

detestationem, seriamque in Deum conversionem, quam egregio procurans zelo, damnatis ad supplicium fontibus aderat, salutisque viam sternebat. Inde in Collegium Maximum traductus Philosphiam ut profiteretur, multis eam Discipulis tradidit, è quibus non pauci infulis & muneribus insignes postmodum evasere. Theologiam Scholasticâ multis annis docuit & Angelopoli & Mexici primarijs præpositus Cathedralis, magnumque sibi nomen merito comparavit apud cujusvis Ordinis palæstritas, acuminè, perspicuitate, & soliditate doctrinæ, quam docendo, arguendo, scribendo coram exhibuit.

365 Mexicanis Studijs præfuit Collegijsque Angelopolitanis, ei quod à S. Ignatio titulum habet, estque pro Secularibus institutum, & à Spiritus sancto dictum Societatis alumnis destinatum, atque è nobilioribus Provinciæ Novæ Hispaniæ Regulari observantiæ deditissimus, exactam semper temporis rationem habebat, distributis diurnis noturnisque horis pro exercitijs instituto suo & muneri convenientibus, à quibus ne latum unguem discederet, domi semper continebatur, ni ipsa cum ministeria aut grave negotiorum aliò deducerent. Intentus animarum saluti, sedulo incumbere audientis confessionibus, nihilo ipsum Scholâ ejusque officijs morantibus, quo minus sacro illi se ministerio ad-

diceret, delectatus in primis directione Scholarium, quòd diceret horum fecundam olim virtutem futuram, quam Sacerdotio alii quando initiati in alios faciliè propagarent. Provincialis Præpositus à Generali Societatis constitutus, suas egregiè partes explevit quo ad vixit, nam non multò post ab iniitâ Provinciæ visitatione lethali correptus morbo, in Collegio Pasquarensi occubuit, sui que desiderium Sodalibus atque exteris multis reliquit.

Edidit

*Dissertationes Scholasticas de Sacratissima V. Maria Genitrice Dei, nostraque etiam dilectissima Matre, ac Domina, brevi & perspicua methodo ad Scholasticorum captum accommodatissimè, dispositas.* Mexici, apud Hæredes Michaelis de Ribera Calderon 1721. in octavo. Recusæ sunt Genuæ operâ Matthæi Carbizza 1726. multis erroribus typographicis deformatæ. Rursusque politissimè cusæ prodierunt Antverpiæ apud Joannem Baptiltam Verduslen 1734.

*Dissertationes Scholasticas de Divina Scientia media.* Mexici, typis & sumptibus Josephi Bernardi de Hogal 1724. in octavo. Prodierunt etiam Antverpiæ mox dictis formis & anno.

*Dissertationes Scholasticas de Divinis Decretis.* Mexici, ex Typographia ejusdem Hogal 1727. in octavo. Rursusque typis Antverpiensibus memoratis 1734.

*Dissertationes Scholasticas de*

*Joseph unigeniti Filij Dei Purissimo Patre, Deique Genitricis Sponsa dignissimo.* Mexici, dictis nuper literis 1729. in octavo, itemque Antverpianis 1734.

Reliquit, Mss sequentia, è quibus aliqua penes nos extant, alia penes varios vidimus. Sunt illa porro

*Dissertationes Scholasticas de Scientia Dei absoluta,* in quarto.

*Appendicis loco accedit Compendium de Scientia media, in quo paucis multa de Systemate doctrinæ Societatis in puncto Divinæ Gratiæ & creatæ Libertatis complexus est,* in quarto.

*Dissertationes Scholasticas de Providentiâ & Prædestinatione,* in 4.

*Dissertationes Scholasticas de Divina Voluntate,* in quarto.

*Dissertationes Scholasticas de Angelis,* in quarto.

*Dissertationes Scholasticas de Ente supernaturali,* in quarto.

*Dissertationes Scholasticas de Divini Verbi Incarnatione. Pars prima,* in quarto.

*Dissertationes Scholasticas de Divini Verbi Incarnatione. Pars secunda,* in quarto.

*Dissertationes Scholasticas Theologicæ duodecim ut minimum divisa titulis, de Pollicitationibus, &c.* in quarto.

*Dissertationes Scholasticas de Summis,* in quarto.

*Dissertationes Scholasticas de Diælectica,* in quarto.

*Dissertationes Scholasticas de Physi-*



*Dissertationes Scholastica de Metaphysica*, in quarto.

*Dissertationes Scholastica de Anima*, de *Ortu & Interitu*, de *Cælo*, in quarto.

*Conciones panegyrica*, itemque *morales hispanæ, Prolusiones* que & *Orationes latina*, in quarto.

Laudant virum gravissimum P. Nicolaus de Segura passim in Tractatu suo de Beatissimâ Virgine, & P. Vincentius Lopez in Opere Mss, quod legimus, Secula Conceptionis Marianæ, Seculo 18. pag. 817. nosque in Tractatu nostro de SS. Josepho multoties.

366 D. ANTONIUS DE PIMENTEL ET SOTOMAIOR, Natione Mexicanus, in famosa Habanæ Civitate Clarissimis ortus Parentibus, Mexicum translatus in tenera ætate, ut litteris imbueretur Collega factus in Regio S. Ildefonsi, brevi in Latinitate profecit abundè, ex inde haud minores in Philosophia fecit progressus, mox grandes ad eum in Theologia nactus, nulli ut æqualium concesserit, destinatusque à Collegio suo fuerit pro majoribus, ut dicimus, Conclusionibus propugnandis per integrum diem, scilicet, decem & octo matutino tempore Theosophiæ Scholasticæ titulis, sex vero vespere ex utroque jure petitis, singulisque questionibus multis scatentibus & gravioribus, Meccenatem agente Illmò. D. D. D. Joanne Ignatio de Castorena & Urtua, ejusdem

Collegij ornamento clarissimo, ad Jucatanenses Infulas evecto, cui subinde Scholarum ritu Socij gratulabantur. Theologicis Studijs Jurium professionem adjecit, laureasque reportavit in Academia Mexicanaensi, è qua tandem Doctor Theologus multo cum Minervæ plausu merito evasit.

367 Apud Collegium suum Regiam, quam Oppositionis trabeam dicunt, obtinuit, cui argumentis, prælectione, & similibus viam stravit. Cathedræ præfectus erectæ in Universitate pro Magistro Sententiarum interpretando ab alumno dicti Collegij, suas industriè partes implevit, non secus ac expleverat officia Candidati horarij relectione idque genus alij certans honorique eximio proludens. Interea sacris initiatur, & à Fidei Quæstoribus Censor deligitur; venienti autem pro regendâ Michoacanensi Ecclesiâ Præsuli D. D. Francisco Marteos, viro Doctissimo, percharus fuit, quòd ingenuus ornatus moribus, & omnigenâ inventus fuerit dives eruditione, cum in amœnioribus litteris, historiâ, & criticâ, tum in universâ Theologia ac Jurisprudentiâ, inter que sibi intimiores adlectus, Diocesi visitandæ destinatus, deinde Ecclesiæ Parochiali Vallis S. Francisci præpositus, huic tandiu muneri invigilavit, quousque vacante in Cathedrali Vallisoletanâ ejusdem ditionis Canonice tu Lectorali, ut ajunt, seu pro sacris

sacris Biblijs exponendis, factò que Doctorum concursu, eodem Regia præsentatione potitur ad præsens. Scripsit Antecessoris munus adimplens,

*Commentaria in selectas libri primi Magistri Sententiarum distinctiones*; ut è libris Academicis pro *Lectionibus signandis* eruiamus.

*Descriptionem totius Provinciae Michoacanensis*, quam Mss servat, cum *Sermonibus, Prælectionibus, multisque cultoris litteraturæ opellis*.

368 FR. ANTONIUS DE POSADA, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis Minorum alumnus in Provinciâ S. Evangelij, Ecclesiastem agebat Cœnobij sui apud Urbem Portumque Veræ Crucis, cum defuncto nuper Catholico Hispaniarum Regi, Carolo II. justa persolvit inelytus Ordinis Jacobæi Eques Ductorque, Classis ibidem reditum in Hispaniam præsolantis D. Emmanuel de Velasco & Texada, jussusque Noster è suggestu sacro coram floridissimâ coronâ. vita functi Caroli enarrare præclara gesta, Panegyrumque funebrem institueret, dixit quidem apposituissime, typisque exculus prostat ejus

*Funebris Sermo in exequijs habitus ad S. Francisci Civitatis de Vera-Cruce magno Regi nostro Catholico Monarchæ D. Carolo II. Mexici, apud Joannem Josephum de Guillella Carrasco 1701. in quarto. Habetur tom. 89. Collect. nost.*

369 F. ANTONIUS DEL POZO, Natione Hispanus, apud

Utreram, quæ Villa est Diocesis Hispanensis, natus, Domicilium totos 28 annos Mexicanum tenuit, quòd è Provincia Bœtica Prædicatorum, in qua Professionem emisserat, in Goaxacensem à S. Hippolyto Martyre, ejusdem instituti anno 1595. devenerit, cum hæc à Sanjacobæâ Mexicæ tandem fuit separata. Ut Indis regionis prodesset in sacris ministerijs, idioma duo exactè didicit, Mistecum, scilicet, & Zapotecanum, in quo potissimum excelluisse, & Sodales testantur, & conscripta ab ipso opera ostendunt, ac junctum ei munus & honos Prædicatoris Generalis in ea lingua declarat. Quantum verò in Theologia doctus extiterit, inde conjicimus, quòd à Quæstoribus Fidei Mexicis, ne dum pro expurgandis libris institutus fuerit, sed etiam Qualificator, ut dicitur, seu à Centuris Theologicis; palamque sit monumentis, quæ edita reliquit, atque ut socius ejus in Millione exaravit P. Præsentatus Petrus Romero: *Verè erat vir Doctus & Apostolicus, & inter Zaapotecos primus. Vicarium agens, Conventus à S. Anna Zecacahue, denatus est die 22 Aprilis anno 1623, ætatis fere sexagesimo, & ab induto habitu 40. Edidit librum latino sermone hoc titulo*

*Monastica Theologia, continens Dubia & Acroamata circa Leges & Statuta, quibus Prædicatorum Familie Professores adstringuntur.*